

adjecta, præcipiunt. Nemo fuit, qui non se obtemperaturum, nihilque immutaturum, constanter affirmaret. Jesu tantum sodalities homines nutare aliquantisper visi. His satis se munitos esse Patres arbitrabantur, cum præsertim nemo fere esset, qui, licet eo usque progressum Pontificem intelligeret, attamen vel novitate ac magnitudine rei perterritum, vel saltem ab iis, qui in Purpuratorum collegio prudentiores essent, imminetiaque pericula animadverterent monitum, cœptis abstinere posse non sibi suaderet.

Verum Paulus, irarum fluctu exæstuans, quodcumque acturus esset, irrevocabile animo gerebat, licet mane decimo sexto kalen. maji, antequam Cardinalium collegium ingrederetur, cogitabundum hæsitantemque Arigonius confirmasse, eique animos addidisse diceretur. In collegio, minoris momenti negotiis peractis, obserari fores jubet: inde graviter atque acerbe de Republica Veneta conquestus, violata Ecclesiæ jura, everfam libertatem, contempta Pontificum decreta, Concilia, Canones exaggerat: ac primum in legem de bonis (ut ajunt) *emphyteuticis* anno M. DC. III. latam, de qua neque oratione, neque scripto, neque per Nuntium cum Senatu egerat, acerrime invehitur. De aliis mox legibus ac judiciis agit. *Mature, inquit, omnia perpendisse; excellentes doctrina viros adhibuisse; Senatum sæpius monuisse, adhortationibus usum, minis deterruisse; ut leges abrogaret, reos clericos remitteret, petiisse; neque per ordinarium, neque per extraordinarium oratorem quidquam impetrasse: ad remedia tandem juris confugere decrevisse: excommunicationis spiculum in Ducem ac Senatum intorquere, interdictum in Veneto imperio, ni tempore statuto pareant, promulgare statuisse: quænam ea de re Cardinalium sententia sit, exquirere. Jam Pontificis mentem noverant. Jam edictum prelo excusum sciebant. Itaque cuncti, Venetis, Delphino scilicet ac Valerio, exceptis, in Pontificis sententiam ivere. Augustinus Valerius, rem magni momenti esse, inquit, in Rempublicam, optime de Apostolica sede meritam, acriter adeo invebi, ut ecclesiastico fulmine plectatur: maturius rem examinandam duodecim gravissimorum doctissimorumque ex eo collegio homi-*

H. Mauroceni T. III.

A a

num

1606

Arigonius
Cardin.
Pontif. in
sententia
contra Ve-
netos con-
firmat.
Pauli Pon-
tificis con-
tra Venetos
exaggeratio.

Augustinus
Valerius
Card. Pont.
impetum
morari ni-
titur.